

Ignorantes, igitur, quid, superventura pariet dies¹, ut in adversitate securi, in prosperitate devoti Pastores boni se habeant, ac ne prosperis extollantur ac enerventur, nec blanda usque ad voluptatem demulceant, quam maxime suadendi.

§ II. — De humilitatis in animarum Pastore condicionibus.

SUMMAE RERUM. — 4. Animadversiones praeviae. — 5. In re condiciones materiales quae sint. — 6. Quae condiciones morales, et praeferunt de humilitate cum auctoritate, fortitudine ac bono nomine unienda, de malis speciebus devitandis, et canonicae ac pastorales ad rem industriae. — 7. De donis a Deo nobis collatis prudenti manifestatione. — 8. Conclusio.

4. — Dum de humilitatis in ecclesiastico Pastore necessitate [quo melius viribus nostris licuit] agebamus, ne potiusquam humilitatem, nimiam abiectionem suadere videremur, dubium nos perculsit: enimvero si virtus commendanda, vitium [quod saepe nimis in eius nimietate continetur] omnino dissuadendum. Ad hoc vero obtinendum, Pastoris humilitatis condiciones recolere decet, quae[si ita loqui fas sit] in materiales ac morales dispesci possunt. De utrisque praecipua quae ad rem faciunt memorabimus.

5. — Condiciones materiales Pastoris habitus et morationem complectuntur, de quibus pauca recolimus, nimirum:

a) Ecclesiastici Pastoris habitus nil delicatus praeferat, immo dioecesis consuetudinem heic quoque sedulo ipse observet. Idcirco non arrogantiam, sed adeo simplicitatem Pastor bonus colat, ut neque exquisitae deliciae, neque affectatae sordes in eo appareant: attamen *omni tempore isint vestimenta tua candida².* Ad rem canonicae normae huc redeunt:

I. — Vestitus clericorum distinctus esse debet a vestimentis laicorum et ordini uniuscuiusque congruens³. Eius vero forma:

a) Ex parte ab universali Ecclesia determinatur, praescribens clericis ut vestem talarem⁴ et tonsuram gestent.

b) Ex parte vero a peculiaribus sinodalibus legibus praescribitur.

¹ Prov. XXI, 1.

² Eccles. IX, 8.

³ Trid. Sess. XIV, de Reform. c. 6.

⁴ Cfr. Aichner, Op. cit. Pars. Spec., lib. I, Sect. II, Cap. 2, § 74; Sixt. V.

Quum sacrosanctum, 19 jun. 1589; Benedict. XIII, *Apostolicae Ecclesiae Sanctum*, 2 maj 1725; Benedictus XIV, Pa-

stor bonus, 13 april. 1744; Sixtus V, *Sacrosanctam*, 9 jan. 1589; Pius IX, S. C. Imunit., 20 sept. 1860; S. C. C., 7 oct. et 1 dec. 1812.

⁵ Cfr. Sixt. V, *Quum sacrosanctum*, 19 jun. 1589; S. Alphons., VI, 4, 26; D'Annibale, III, 146.

II. — Ex quo sequitur ad ea quae a loco vel consuetudine dioecesana imperantur unumquemque adstringi, salvo, tamen, usu vestis talaris in sacris obeundis.

c) Nutrire comam, saecularium more¹ eam deferre dedecet, et Episcopi haud accedente venia suppositicia uti [*perrucca*] et barbam² servare, ac [*jure non habentibus*] annulos deferre, illicitum.

b) Eius quoque morationis et ciborum condiciones simplicitatem, vanitatum contemptum, ac mortificationem commonstrent. Quod si, interdum, locorum adiuncta aliter suadeant, quid consuetudini ac muneri, quid vero personae tributum sit, sedulo Pastor seiungat. Attamen heic quoque adest modus a prudentiae dictaminibus praefinitus, et si virtus optima, eius vero excessus stultus et perniciosus quoque censeretur. Quidquid sit, hoc unum et maxime semper spectandum, nimirum, ne in ecclesiastici Pastoris habitatione quid quod saecularibus redoleat moribus, aut decus domus Dei antecellat ullo modo habeatur. Qua ratione, ut D. Petrus Damianus recolit, dum Tabernaculum Dei in tentoriis inhabitat, Praepositus haud in *domo cedrina*³ erit, neque eius lectulus tam operosis decussetur impendiis, ut ornamentum sacrosanctum cuiuslibet praecellat altaris⁴. Hac ratione et illa canonum praecpta Pastor colet:

Modesta suppellecili et mensa ac frugalivictu Parochus contentus, in reliquo vitae genere ac tota eius domo quidquid a sancto instituto alienum sit, quodque non simplicitatem, Dei zelum ac vanitatem contemptum praeferat, quam maxime caveat⁵. Cuncta quae ex necessaria ac convenienti sustentatione detracta, ecclesiastici beneficii fructus sunt, in Ecclesiam ac pauperes, stricto conscientiae debito, impendere tenetur⁶.

6. — Condiciones in re morales haud parvi momenti censantur, et his redeunt:

a) Cum humilitate disciplinae iura coniungantur; nam Pastor fidelis ac prudens quem constituit Dominus super sanctam Familiam suam, adeo et in humilitate servat disciplinam, ut per disciplinam in superbiam non incurrat, ac ita unam ex altera condit ut nec per nimiam libertatem superbia, nec per humilitatem nimiam abiectio regimen pessumdet. *Solerter, itaque, intuendum est ne dum immoderatus custoditur virtus humilitatis, solvan-*

¹ Cap. 15, § 7, de Vit. et hon. clericor. X, III, 1 - Concil. Trid., Sess. XIV, c. 6, De reformat.

² Nunt. Apost. Monacens. ad Archiep. Monac., 4 aug. 1863.

³ II Reg., VII, 2; Paralipom. I, XVII, 1.

⁴ Epistolar. lib. II, Epist. 19, ad Desider. Abbat. et Card.

⁵ Trident. Sess. XXV, de Reformat, c. I - Cfr. Pius PP. X, Haerent animo, 4 aug. 1908.

⁶ Id. Ibid. - Cfr. Benedict. XIV, de Synodo VII, c. II, n. 4; D'Annibale, op. cit., III, 86.

tur iura regiminis, et dum Praelatus quisque plus quam decet se deiicit, subditorum vitam restringere sub disciplinae vinculo non possit¹. Ita, igitur, in Pastore virtus humilitatis custodiatur ut fidelium vita non dissolvatur in vitiis; nam illum qui animarum deditus est curae auctoritas ab humilitate seiuncta in arrogantium inflat; humilitas sine auctoritate contemptibilem sane reddit. Qua in re distinguenda tamen sedulo est libertas et superbia, ne aut timor humilitatem, aut superbia se libertatem fingant², quo aliquando quis per tumorem elationis loquitur, et loqui se per auctoritatem libertatis existimat³. Potestas, enim, cum habetur et cogitanda est ad humilitatem, et dissimulanda propter timorem, quatenus Pastor qui ea utitur et ut prodesse debeat se posse sciat, et ut extolli non debeat posse se nesciat. Humilitatem itaque teneamus in mente, et tamen ordinis nostri dignitatem servemus in honore, quatenus nec in nobis humilitas sit timida, nec erectio sit superba. Exhibeas te igitur, patrem ac matrem; matrem humili clementia, patrem disciplina; matrem potestate blanda, patrem severa; matrem diligendo pie, patrem timendo necessario.

b) Humilitati fortitudo unienda, qua dum Pastor bene agentibus est per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiae erigatur: quod et Paulus cum Corinthiis, et Petrus cum peccantibus, et Servator Noster cum Scribis ac Pharisaeis servasse traditur. Primus, enim, minatur: *Quid vultis, an in virga veniam ad vos?*⁴ Apostolorum vero Princeps, qui precibus ac lacrymis primos fidei ascelas ad bonam frugem hortabatur, ac bene agente Cornelio immoderatus venerari recusavit, quum vero Ananiae ac Saphirae culpam reperit, eorum vitia percussit quae, perscrutante Spiritu, deprehendit; illic communionem aequitatis meruit sanctitas actionis; hic zelus ultiōnis ius aperuit potestatis, Redemptor vero Noster qui in inlati sibi iniuriis humilitatis exemplum cunctis fidelibus reliquit ut homo, in miraculis autem et praedicationibus auctoritatem ostendit ut Deus. Quando autem orationis domum in latronum speluncam Scribae et Pharisaei immutavere, tunc *praeter consuetudinem, facto de funiculis flagello, cum auctoritate maxima oves eiicit, et boves cathedrasque vendentium et columbas evertit ac nummulariorum aes effudit*⁵. Pastores, igitur, sub humilitatis specie, silentium tenere recusent: viris, enim, fortibus qui

¹ S. Gregorius Mag. *Regul. Pastoral.*, Par. II, cap. 6.

² Id. *Ibid. hom. 4.*

³ Id. *Homil. in Ezech. lib. I hom. 9.*

⁴ I, IV, 24.

⁵ S. Laurent. Iustin. *De Institut. et Regim. Praelator.* cap. 15.

strenue praeliare proelia Domini valeant pastorale regimen eget, cui canes muti qui latrare haud valeant quam maxime infesti evadunt. At de Pastoris fortitudine plura recolemus alibi¹.

c) Bono cum nomine humilitas societur, devitantes hoc ne quis nos vituperet in hac plenitudine quae ministratur a nobis. Providemus enim, bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus². Enimvero si nobis conscientia necessaria est, ut aliis fama nostra integra sit, et Pastor testimonium habeat boni nominis et ab his qui foris sunt³, necesse est. Curam, igitur, habe de bono nomine; hoc, enim, magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi et magni⁴; ne des alicui honorem tuum⁵. Qua in re quam maxime advigilandum, quum, frequenter nimis perditi homines bene viventibus detrahere, aut notam eis excogitati criminis infigere soleant⁶. Malignantium linguas contra illos exacuant, necnon et multiplici exquisitae fraudis artificio, populum acquisitionis in fabulam saeculi, scholam innocentiae in derisum et in theatrum transferre conantur, ac ubi leonina non pertingit pellis, vulpina contendit. Quod Praelatis praesertim evenire videmus; duce, enim, cadente, latius disperditur exercitus qui sequebatur, sicut pastore percusso facile disperduntur oves. — Ad rem media generalia [peculiaria indigitabimus alibi] haec sunt:

a) Malae devitentur species: oportet, enim, ut procul prospiciamus unde male fama oriri possit, et occasionem praescindere unde ea nascitur, neque expectare dum percrebrescat et in vulgi ore versetur. Tunc enim non facile est eam delere, immo admodum difficile, forteque nulla arte fieri possit, neque periculo vacat, ne multorum damno tunc fiat⁷. Interest tuae perfectioni [Eugenium Pontificem D. monet Bernardus] et malas res et malas pariter species devitare: in altero conscientiae, in altero famae consulis: puto tibi non licere, etsi alias fortasse liceat, quidquid male fuerit coloratum. Denique interroga maiores nostros et dicent tibi: Ab omni specie mala abstinet vobis⁸. Alioquin frustra irascimur obtrectatoribus nostris, si obtrectandi materiam ministramus⁹, et dum nosmetipsos diruimus, operam omnem nostram collabefacimus. Quod multo magis cavendum quum vulgus malis facilius credat¹⁰, et veritate verosimiliora videri, mendacii ac calumniae proprium sit. Enim-

¹ Cfr. indic. alphabetic. *Fortitudo.*

² II Corinth. VIII, 20 et 21.

³ I Timoth. III, 7. — Cfr. S. Thom. lib. VI, cap. 6.

II^a II^a, q. 73, artic. 2 et 3.

⁴ Prov. V, 9.

⁵ Eccles. XLI, 15.

⁶ S. Gregor. Magn. *Moral.* lib. III, cap. 8.

⁷ S. Ioan. Chrysostom. *De Sacerdot.*

⁸ De Considerat. lib. III, cap. 4.

⁹ S. Hyeron. Epist. ad Eulaliam.

¹⁰ Id. Epist. 147.

vero qui semper dolose agit, simpliciter agi non aestimat¹, atque, nulla inquisitione adhibita, potius quae videntur, quam quae reapse sunt tenet, ac [praeiudicata opinione] vaserrime dijudicat. Idcirco ubique, omni tempore et erga omnes adeo se Pastor gerat ut in verbis, in vultu ac incessu, vestibus, habitatione ac domorum frequentatione et si quid aliud, omnis contra illum penitus adversae opinionis dicendi occasio subtrahatur, quisque quae sacri iubent canones:

I. — Sicdebet omnino clericos ita vitam moresque componere suos ut habitu, gestu, incessu, sermone aliquis rebus, nil nisi grave, modestum, et religione plenum praeseruant, levia delicta quae in ipsis maxima essent effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem².

II. — Quidquid laicorum mores, vel nimis exquisitae corporis cultum redolere videntur effugiant. De quo iam diximus.

III. — Ab omni non legitima cohabitatione aut familiaritate cum mulieribus, praesertim suspectis ac santimonialibus³, prohibentur. Crapulas, ebrietatem [conviviis, commessionibus, tabernis] ac avaritiam⁴ devitare tenentur. A ludis aliquis sua virtuti, aut dignitati periculosis locis, laicorum oblectamentis [qualia sunt spectacula, chora, cinematographa, venationes clamorosae] omnino se abstineant⁵. Tandem omnia quae hac in re a iure communii vel Episcopi auctoritate prohibentur, sedulo eaveant.

IV. — Ab artibus, de iure vel consuetudine prohibitis, quales, propter dignitatis vel levitatis defectum, sunt viliores⁶ in genere, ac medicinae vel chirurgiae⁷ exercitium, armorum gestatio⁸, praesertim humilia Parochus se abstineat. Quod et de saecularibus officiis⁹, civilibus et politicis¹⁰ [v. g. tutoris, procuratoris, advocati, senatoris et deputati], de negotiatione [ut inferius dicemus] iterandum, si ab omni suspitione mala ipse immunis esse desiderat.

Sit igitur mens tua vigilans; sit undique circumspecta, sit ubique sollicita ut insidiantis possis semper laqueos praecavere¹¹; cum modestia et timore conscientiam habentes bonam ut in eo quod detrahunt vobis confundantur qui calumniantur vestram in Christo conversationem¹²; ut in eo

¹ S. Gregor. *Moral.* Lib. XII, cap. 39.

² Trident. XXII, 1.

³ C. I, 8, 9 *De cohabit. Clericor.* [X, 111, 2]; Trid. XXV, 14; XXI, 6 - Cfr. S. C. C. in *Bambergen*, 17 aug. 1883 et S. C. EE. et RR. in *Heribpol*, 17 aug. 1883; S. C. C. in *Faventina*, 2 jun. 1695.

⁴ C. 14 et 15 *De vit. et hon. clericor.* [X. 111, 2]; C. IV, distinct. 14.

⁵ C. 2 *de vita et honest. cleric.* cit. Quoad luctas cum tauris cfr. S. Poenit. 19 sept. 1893.

⁶ Clemens. V. *De vita et hon. clericor.*

⁷ Cfr. C. XIX *De homicid.* etc. IV *Ne clerici vel Monach.* X, 111, 50.

⁸ C. 2 *De Vita et honest. clericor.* X, 111, 1; Canon. *Aliquantos* et II. d. 51.

⁹ S. C. C., 14 maj 1825.

¹⁰ Leo XIII, per S. C. C. 12 jul. 1900.

¹¹ S. Gregor. *Magnus, Epistolar.* Lib. II, Indict. V, Epist. 39 *ad Dynam.* et *Aurelian.*

¹² I Petr. III, 16.

quod detractant de vobis tamquam malefactoribus ex bonis operibus vos considerantes, glorificant Deum in die visitationis¹. Nihil, enim, est tam incredibile quod, dicendo, non fiat probabile!

b) Humilitas erga animas exerceatur: nam *superbia odium generat, humilitas amorem*², et *superbum virum a tergo sequitur evercio, odio, veneno, gladio undique configitur*³. At humilem Pastorem quem subditi diligunt, non modo haud laedunt, sed et tuentur et laudent, ut Israelitica Gens Moysen laudasse traditur, qui *ideo per quadraginta annos obtinuit Principatum, quia totestatis superbiam, lenitatem ac mansuetudine, temperabat*⁴.

c) Solitudinem Pastor diligt ac recessum, quo, dum quae saeculi sunt a illo recedunt, quae Dei sunt accedunt, ac parochialis domus in dies magis magisque dulcescit. Pastor, igitur, *raro sit in publico, frequens in secreto*⁵: nam si ad saeculares externasque conversationes hoc illucque circumfit [ubi nil nisi invidia ac calumniae parantur], dum tempus inutiliter terit, multis saepe laqueis, inscius, illigatur. Enimvero gravis illorum Pastorum error est qui, domos ac convivia ultra citroque frequentando, amicitias arbitrantur parari, ecclesiasticas res promoveri ac augeri fortunas, erigique iacentes. E contra, aemulationes, sinistrai opinions, detractiones magis magisque crescunt, neque hae amicitiae ultra confabulationes ac pocula se extendunt; finiuntur in illis, neque his mediis dexteram adiungere suam, aut animarum salutem propagare solet Deus. *Fallax, enim, et seductoria evagandi voluptas consumit innocentiae fructus, et quod nunc honorabile et lucrosum reputas, in tuae famae dispendium et animae periculum convertetur*⁶. Tunc, enimvero, necesse est aut imiteris, aut oderis, quod utrumque vitandum, ne vel similis malis fias quia multi sunt, neve inimicus multis quia dissimiles sunt⁷. — Insuper valde difficile est ne lingua saecularium, mentem non inquietet quam tangit; in deteriora autem versari et nullo modo infici, haec Dei tantum laus et praedicatio est. Enimvero, dum, non necessitatis sed dissipationis causa, inter corruptos Pastor versat, saepe *de contaminatis contaminatur*⁸, atque inscius [quia ipse quoque homo est] in odiosis sermonibus paulisper tractus, quae audire cooperat invitus, li-

¹ Petr. II, 12.

² S. Gregor. *Moral.* Lib. VII, cap. 25.

³ Seneca, *De Clementia*, Lib. I, cap. 25.

⁴ S. Hyeron. Epist. 26, *ad Theophil.*

⁵ S. Gregor. *Magn. in I Reg.* lib. IV, cap. 6.

⁶ Petrus Blessens, epist. 19 *ad Monac. Novit.*

⁷ Seneca, Epist. 7, *ad Lucill.*

⁸ Tertullian. *De spectacul.* cap. 8.

benter iam ea loqui incipit, ubi taedebat cadere libet iacere, omniumque fit servus qui praeesse coeteris tenetur. Et profecto, verbis peccat, quia ad proferendum coelestem sermonem non idonea suppetit lingua, quae prius est tam prolixis terrenae locutionis ambagibus dissoluta; et opera ipse peccat quia multum deorsum ducimur, dum continua locutione saecularibus admiscemur. *Subtrahē, igitur, pedem tuum de domo proximi tui, ne quando satiatus, oderit te*¹, et memineris illud: *Nemo secure apparet, nisi qui diligenter latet*². Ut, enim, testudo ubi tegmen in suum collecta sit, ad omnes ictus tuta evadit, si vero sui corporis partes exserit, ictibus iaculisque committitur, ita Pastor quoque in sua domo se continet securus, si eam vero frequenter nimis dimittat, in quamplurimis perniciosissimisque periculis adducitur. Quod praesertim de mulierum consuetudine ac cohabitatione dicendum, monente Scriptura: *in medio mulierum noli commorari, de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri*³; *inveni amariorem morte, mulierem quae laqueus venatorum est, et sagena cor eius, vincula sunt manus illius*⁴. *Oh! beata solitudo, oh! sola beatitudo!*⁵ quae, cum devotionis mater sit⁶, tanto Christus familiarior cordibusque nostris Ipsius amor suavior, quanto huius saeculi aspectus fuerit rario: qui appetit coelestia secreta cognoscere, oportet eum ab hominibus elongari. Quantum, igitur, tua regiminis condicio sinit, sit tibi canonica paradisus, chorus coelum, lectio sacra cibus: sit tibi silentium amicus, vigilantia socia, oratio auxiliatrix, canonica requietionis tuae domus ac tumulus sit, donec tibi aperiatur coelestis paradisus; est, enim, via brevis de cella ad caelum, si caelicam in ea duxeris vitam!

d) Suae vitae testem Pastor habeat, nam *qui sine teste ambulat recte non vivit*⁷, et magna peccatorum pars tollitur si peccaturis testis adsistat⁸. Calumniae, enim, multae vitarentur si hoc consilium perfectius observaretur.

e) Paroecianis omnibus reverentiam Pastor exhibeat; qui enim, ut suam famam augeant, nil melius quam aliorum laedere norunt, oppido falluntur: nam *qui gladio ferit, gladio perit*⁹. Quamobrem a detractione parcite linguae, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit¹⁰; os autem quod mentitur occidit animam¹¹, et qui ruina laetatur alterius

¹ Prov. XXV, 17.

² De Imitat. Christi, Lib. I, cap. 20.

³ Eccles. XLII, 12.

⁴ Id. VII, 27.

⁵ S. Bernardus, Epist. I.

⁶ Kempis, in Exercit. cap. 4.

⁷ S. Gregor. Magnus, Epist. 24.

⁸ Seneca, Epist. 24.

⁹ S. Bernardus, De Considerat. Liber IV, cap. 6.

¹⁰ Sap. I, 10.

¹¹ Id. I, 11

*non erit impunitus*¹. Quasi filios Dei Redemptionisque fructus Pastores animas honorent, qua ratione, dum Deum imitantur, qui *cum magna reverentia disponit nos*² et *disponit omnia suaviter*³, et ipsis a gregibus quasi Pastoribus honor deferetur. Quamvis Parochi auctoritas magna sit, attamen, monente Apostolo: *omnia mihi licent, sed non omnia expendiunt*⁴, *omnia mihi licent, sed non omnia aedificant*⁵, haud omne quod ipso libet licet, haud illi fas est⁶ quod fieri nefas, et quum summum ius, summa sit iniuria, cui multum licet, minimum libere decet. Quum vero ille tantum in illicitis non cadat, qui se et a licitis caute restringit, Pastor sese a licitis abstinere nesciens, et ad illicita saepe dilabitur. Deum, igitur, Pastor bonus imitatus, adeo se habeat ut invenisse bonos quam fecisse videre malit.

f) Malorum consuetudinem devitet, dicente Scriptura *qui cum stultus graditur, stultus est*⁶, *amicus stultorum similis efficietur*⁷; sicut vita Sanctorum multa habet bona, sic plurima mala affert societas malorum. *Qui, enim, tetigerit immundum, coquinabitur: qui tetigerit sordidum sordidabitur*⁸; cum electo electus eris, et cum perverso perversus⁹. Eorum, igitur, consuetudinem qui quamvis in Christo diligendi, attamen haud imitandi sunt, cave diligenter si bonorum scandalum devitare vis.

g) Dicteria omnia haud facile Pastor spernat, quum quando auctoritatis periculum fit, non de privato tantum commodo agatur. Quod et Servator Noster egisse legitur qui, quamvis ipsa Iustitia, attamen suae innocentiae testimonium et a Scribis ac Phariseis sciscitare non dubitavit, rogans: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*¹⁰ Hac ratione Dei Filius, qui ex divinitatis intuitu, peccatores iustificare poterat, se peccatorem non esse ex ratione ostendere non dignatur. Nec secus complurimos e Pastoribus sanctos scimus qui, quamvis humilitatem mortificationemque [gradu heroico] profitentes, attamen accusationes refellere ac accusantes erroris convincere ne renuere. — Verum, ut et D. Gregorius suadet, *magna inquisitione res indiget cum recti operis viam tenemus, utrum semper despicer derogantium verba debeamus, an certa aliquando compescere*¹¹. Et ad rem idem S. Doctor sequentes normas praebet: *De qua re sciendum est quod aliquando detrahentium*

¹ Prov. XVII, 5.

² Sapient. XII, 18.

³ Id. VIII, 1.

⁴ I Corinth. VI, 12.

⁵ Ibid. X, 23.

⁶ Sapient. XIII, 18,

⁷ Prov. XIII, 20.

⁸ S. Bernard. De Consider. loc cit.

⁹ Psalm. XVII, 27; II Reg. XXII, 27.

¹⁰ Ioan. VIII, 46.

¹¹ In I Reg. Lib. V, cap. 1.

linguam compescere debemus, ne dum nobis mala disseminant, eorum qui audire nostra bona poterant, corda innocentium corrumpant... Hi etenim quorum vita in exemplum imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum praedicationem non audiant qui audire poterant, et, in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant... Sed in re subtili inquisitione necesse est ut semetipsum animus investiget, ne fortasse sua laudis gloriam quaerat, et animarum lucra se quaerere nostra cogitatio simuleat¹. Ad hoc vero opportuna adhibeantur remedia, quae tum in propria, tum in maiorum Praepositorum admonitione vel castigatione continentur. Quod si negligatur, quum Pastores quorumdam fidelium uti praeda efficiantur, omnis vitae christiana pax ac solatium, omnis immo paroeciae ordo funditus collabitur. Istis quos caritas in disciplina continere non valet, metus adhibendus. Et de hoc, opportunius, alibi².

h) Quidquid pecuniae, vel politicis factionibus inservire videtur a se atque a suis Pastor sedulo arceat, quum tum primum, tum alterum ecclesiastici regiminis haud parum noceant. Si, enim, non in capturam animarum, sed in capturam auri et argenti³ Praepositus adeo sollicitus est ut quasi mercaturam agere videatur, calumniae calumniantibus subiacere pro certo ipse teneat. At qui festinat datur innocens non est⁴ D. Sapientia monet, et Apostoli monitum extat: *Nemo militans Deo implicet se negotiis saecularibus ut ei placeat*⁵. Instanter admoneo [D. Gregorii praeclera monita cuidam Viro audiantur] ut non plus pecuniae quam animabus invigiles. Illud a latere inspicendum est... quia Redemptor Noster non quaerit aurum, sed animas⁶. Nihil est ini quis quam amare pecuniam⁷. — Quoad vero politicantium partium studium attinet, quum alibi [opportunius] de re sermonem instituimus⁸, hunc boni Pastoris nominis scopulum heic innuisse satis sit.

7. — *Disce*, igitur, o Pastor bono flagrare preeconio, habeto testimonium bonum, custodi bonam famam: tua bona fama nullis foetoribus obscuretur, tua bona fama nullis opprobriis laceretur⁹, et ita age ut nullam tui partem habeas obscuram. Quod, si quando proximorum utilitas, aut certa necessitas cogat, quae sine fictione didicisti¹⁰, et sine in-

¹ Id. Homil in Ezech. lib. 1, homil. 9.

² Cfr. indic. alphabetic. Personae.

³ S. Bernard, Epist. 237.

⁴ Prov. XXVII, 20.

⁵ II Timoth. II, 4.

⁶ Epistolar. Lib. V, Indict. XIII, Epist. 56 ad Marinian.

⁷ Eccles. VIII, 3.

⁸ Cfr. indic. alphabetic. Politica.

⁹ S. Bernardus, Sermo 66 — Cfr.

S. Laurent. Iustinian. *De humilitate*, Cap. 8.

vidia subditis communices, et illius honestatem non abscondis¹ [ut Illi soli gloriam des] nemo te recte reprobabit. *Infinitus, enim, thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati*². Quod et Scriptura suadet dicendo: *Sic luceat lux vestra bona, et glorificent Patrem vostrum qui in coelis est*³. Sancti, enim, Viri quae habent bona abscondunt et manifestare sciunt: abscondunt quippe ne per elationem pereant, sed, ne infructuosa remaneant, manifestant; dum abscondunt tunc custodiunt, sed dum manifestant fructum proferunt. Attamen si virtutes suas annuntiant, ita agunt non ut laudibus suis ipsi proficiant, sed ut subditi qui nunc ex sua laude cognoverint, ad perpetuam haereditatem veniant⁴.

8. — Conclusionis instar D. Laurentii verba audiantur: *Da, quae so, Praesulem corde humilem, ipsumque invenies constantem in opere, laetum in corde, in sermone eruditum, compositum in moribus, in se pacificum, iucundum in facie, in regimine providum, et in omni sua actione discretum. Redarguit quidem sine passione, delinquentes punit sine vindicta, absque ulla crudelitate terret elatos. In publico quoque constitutus coram adstantibus appareat ut dominus, sed ante Deum, humilitate prostratus, iacet ut servus. Denique iniustis non flectitur precibus, nec ilatis iniuriis frangitur, neque temporalium promissis movetur, sed cuncta quae agit, matura gubernatione, disponit. Habet quippe Paracletum praesidentem in se, dirigentem se, se protegentem atque docentem*⁵. Nec ad rem cuiusdam S. Viri verba recolere inutile erit: *Humilem Deus protegit, humilem diligit et consolatur; humili homini se inclinat; humili largitur gratiam magnam...; humili sua secreta revelat, et ad se dulciter trahit et incitat*⁶.

Articulus II.

DE BONI PASTORIS REGULARITATE.

Ecclesiastici Pastoris [uti aiunt] regularitas, ad argumentum nostrum quod attinet, in eius residentia et bono exemplo fidibus praestando continetur, de quibus dicendum. Agitur, enim, de re summi momenti, quae si quomodo cumque nutet, sic et totum paroeciae regiminis aedificium nutet necesse est.

¹ Sap. VII, 14.

² Id. 14.

³ Matth. V, 16 — Cfr. I Petr. II, 12.

⁴ Cfr. S. Greg. Magn., in I Reg. Lib. IV. Cap. 4.

⁵ Op. cit. cap. 13.

⁶ De Imitat. Christ, lib. II, c. II, 910.